



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

iii. De libelli oblatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

Eadē viduæ si dotalicio sibi adsignato aliis- <sup>15. Ex</sup>  
 ve rebus suis licet feudalibus spoliatae erunt: ol- <sup>parte.</sup>  
 lis coram ecclesiastico iudice vel à summo pōt.  
 dato spoliatorem suum inrequisito feudi domi-  
 no, suæve rei detentorem in ius ciere liceto.

Alioquin causa feudalibus per dominum feudi <sup>6. Ex mās</sup>  
 terminator. Super qua possessione seculari vel <sup>missa.</sup>  
 feudo lis erit, vasallus in iudicio ecclesiasti-  
 co, quanquam ecclesiæ miles erit, domino in-  
 hibente ne respondeat. si tamen maliciosè feu-  
 di dominus differet: debitum causæ finem iudex  
 ecclesiasticus imponit.

Quæ verò feuda ad ecclesiasticam cognitio- <sup>7. Verum.</sup>  
 nem pertinebunt, de his sub episcopi ecclesiæ  
 in ea consecrati iudicio cognoscitur. Alioquin  
 imperiali beneplacito relinquitur.

Qui venerabilibus ecclesiis conlata, relicta, <sup>16. Cōque-</sup>  
 aliisve iustis modis adquisita inuadent, tāquam <sup>stus.</sup>  
 sacrilegi vsque ad satisfactionem cōgruam ana-  
 themati subponuntur. monitione præmissa ces-  
 sare, ac de præteritis damnis & iniuriis satisfacere  
 adpellatione remota per iudicem ecclesiasti-  
 cum compelluntur.

Omnino enim malefactores ecclesiæ sacrilegi <sup>8. Cum sit</sup>  
 censentur. hos venerabilium locorum rectores <sup>generale.</sup>  
 sub quo mauolent iudice conueniunt. Hoc in  
 ecclesiæ fauorem introductum esto.

*De libelli oblatione. Tit. 3.*

**I**udicia à libelli oblatione occipiunt.

Conuento libellus conuentionalis ab acto- <sup>3. Dilecti.</sup>

G iiii



## De mutuis petitionibus.

re porrigitor. si quæ pecunia petetur: etiam cur ea debeat, exprimitor. ni hoc factum erit, reus respondere ne tenetor.

2. *Significanti-  
cantibus.* Sin quæ res immobilis petetur, eaque ab eo qui plures possessiones habebit; olli, vt res, qua de quæstio vertetur, ostendatur, postulare licet. si iudex denegasset, & exceptionem non admittet: prouocatio esto.

1. *Ignarus* Siue quis alicui reclamabit, siue quid postulabit, suam reclamationem libelli serie declarato. eam sua manu roboratam iudici porrigito, tunc ipsi respondetor.

### De mutuis Petitionibus. Tit. 4.

1. *Ex lite-  
ru.* **S**I C ab actore proposito libello, de iis quæ aduersus ipsum proponentur reus respondetor. hoc iuris ordo exigit. Si tamen qui conuenitur tunc ex actore iusticiam postulabit exhiberi: etsi quæstionis actoris delegatus iudex erit, ipsius actione proposita & responsione facta reo incontinenti super suis quæstionibus respondetor. post vicissim rationes partium audiuntor, concordia vel iudicio vtriusque negocium terminator.

2. *Prudentiam.* Actoris enim & rei eadem conditio esto. vno eodemq; iure ambo censentor. sicut actor iuxta mandatoris rescriptum adpellatione remota iusticiam sibi exhiberi postulabit, sic reconuenienti in sua iusticia respondetor.